

I. N. J.  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
De  
**IMPLEMENTATIONE  
LEGIS,**

Quam  
PRÆSIDE  
RECTORE MAGNIFICO,  
VIRO  
MAXIME REVERENDO, AMPLISSIMO ATQUE  
EXCELLENTISSIMO

DN. JOHANNNE *Deutschmann* /  
SS. THEOL. DOCT. ET P.P. LONGE CELEBERRIMO,  
ALUMNORUM ELECTORALIUM EPHORO  
GRAVISSIMO,

*Dno. Patrono, Præceptore, & Promotore  
suo submisſe devenerando,*

Publico Examini ſiſtit,

AUCTOR & RESPONDENS

**DANIEL BERGZEMBORG /**

Brega Sileſ.

*Ad diem Mart. ANNO. C. M DC LXXXIII.*

H. L. Q. C.

WITTENBERGÆ, Typis Viduæ Augusti Brünigii.

oll. diss. A  
62, 35

*oll. A. 162 (35)*

~~WITTENBERGÆ~~ ~~1683~~ ~~1683~~ ~~1683~~

Sächs.  
Landes-  
Bibl.

1754. 2. 28.

A. Ω.

PRÆFATIO.

**Q**uanta articuli de lege rectè cognoscendi sit utilitas, quanta-  
vè necessitas, facile inde colli-  
gipotes, dum nemo articulum de ju-  
stificatione, (sine quo tamen, teste  
Luthero, impossibile est, ut uni errori,  
aut fanatico Spiritui obviam iri pos-  
sit) ritè explicabit nisi qui doctrinam  
de Lege, deq; legis trans gressione,  
vel peccatore rectè prospectum habebit:  
hinc Hieronymus lib. 1. contr. Pelag.  
dicit: Tunc justificati sumus, quan-  
do nos peccatores fatemur. Unde v.  
peccati agnitio, nisi ex lege? hæc de-  
clarat, quanta severitate Deus per-  
fectam

A 2

fectam obedientiam à nobis flagitet,  
& quantum Mediatoris officium sit.  
Quò major autem hujus articuli ne-  
cessitas, eò ardentius Diaboli studiū  
omnibus temporibus fuit corrumpen-  
di eum, siquidem multas ac varias de  
illo movit controversias; ita quidem  
ut neq; dubitaverint hæretici asse-  
re, Legem ex Ecclesia prorsus esse tol-  
lendā, ut pote cujus nullus sit usus,  
cum tamen horum multi ex eadem ad  
nos redundent, prout etiam B. Luthe-  
rus in com. ad Gal. indicat: Ad hæc,  
scribit, prodest Lex, ut gratia ad nos  
possit habere aditum: Lex est mini-  
stra & præparatrix ad gratiam. Inter  
has controversias non postrema vel  
dignitate, vel necessitate, vel utilita-  
te mihi videtur, quando quæritur, an  
Lex à renatis in hâc vita perfectè im-  
pleri possit? quam nunc pro ingenii  
mei

mei tenuitate proponere suscepi. In-  
cludam autem illam tribus potissimū  
membris: primū mea, quæ ad statum  
controversiæ genuinum definiendum  
pertinent, paucis expediam: deinde  
Thesin, seu orthodoxam nostræ Ec-  
clesiæ doctrinam proponam, firmisq;  
fundamentis superstruam; & tan-  
dem aliqualem refutationem adver-  
sariorum adjiciam. Tu verò summe  
DEUS

Huc ades, & nostris clemens alla-  
bere cæptis!

§. I.

**C**um ad formandum statum con-  
troversiæ maximè inserviat rerum, de quibus sermo,  
explicatio, inde & nos legem paucis ratione scopi nostri  
considerabimus. Quamvis autem lex vel humana, vel divina sit,  
tamen eandem causam efficientem principalem, nempe Deum,  
agnoscit, qui ut Magistratūs, ita & ipsarum legem autor est, adeoq;  
Magistratus cum lege in eo conjungitur, quod utriusq; sit Autor  
Deus; hoc tamen eo sensu non accipiendum quasi ratione originis  
& institutionis suæ æqualiter sese habeant: Siquidem quod Magi-  
stratum

A. 3.

stratum

stratum attinet, est ille divina ordinatio proximè ac immediatè à voluntate & constitutione divina pendens: Jam verò leges à Magistratu, ut à causa principali quidem, sed subordinata tamen, latæ duplicem agnoscunt differentiam: vel enim sunt juris divini, quæ scilicet in secunda tabula decalogi habentur; vel sunt juris humani positivi. Priorum bonitas per se talis est propter convenientiam proximam & immediatam cum lege divina, & in hoc conveniunt cum Magistratu ratione originis. Posteriorum verò bonitas nō proximè & immediatè talis est; sed cum in se actiones indifferentes sint, fiunt saltem bonæ, quatenus vel præcipiuntur, vel quatenus analogæ illis sunt, quæ in decalogo habentur, & iudicè vel consequenter obligant. Ex his simul apparet tum forma interna, quæ scilicet consistit in congruentia cum lege divina, & dictamine rectæ rationis; tum materia, de qua leges ferri possunt, quod scilicet ea præcipiantur, quæ sunt iusta; ad iniquum enim nemo obligatur; honesta, quod enim honestati & moribus repugnat, alienum est à pietate & probitate, & lege sanciri nequit; utilia, ad introducendum & obtinendum bonum: possibilia, quò impleri possint.

§. II.

Variè autem lex divina in sacra scriptura accipitur. Consideratur enim vel *Generaliter* pro tota doctrinà cælesti, quam sacra scriptura complectitur, ut Psal. i. v. 2. Psal. 119. tot. vel *Specialiter*, pro universa V. Ti doctrina, ut Joh. 10. v. 34. cap. 15. v. 25. 1. Cor. 14. v. 21. unde Anabaptistæ finxerunt, Patriarchas de Evangelio sive promissionibus vitæ æternæ nihil credidisse, sed tantum externis & corporalibus promissionibus, tanquam porcos, saginatos fuisse. vid Chemnit. LL. part. 2. loc. de leg. vel *strictius* pro libris Mosaicis, ut Luc. 24. v. 44. Gal. 4. v. 31. Matth. 12. v. 5. &c. vel tandem *strictissime* & propriè prout doctrinæ de gratia Dei, & gratuita peccatorum remissione propter Christum contradistinguitur. Observandum verò, quod hæc contradistinctio non pariat talem contrarietatem, quæ mutuam destructionem inferat, ut ubi Evangelium suum locum habeat, ibi nullus respectus legis esse possit: & ubi lex obtineat, ibi Evangelium simpliciter excludendum sit. Promissiones enim & bene-

beneficia, quæ proponit Evangelium, nihil aliud sunt, quàm legis in Christo complementum & quædam satisfactio legi debita, sed per Christum præstita, dum Christus pro nobis legi factus est subditus. Gal. 4.4. Quod etiam affirmat Apostolus ad Gal. 3. v. 21. Est ne lex adversus promissionem Dei? absit, & ad Rom. 3. v. 31. Lex per fidem Evangelii magis stabilitur, tantum abest, ut per eam destruat.

### §. III.

Est autem lex divina vel *Ceremonialis*, quæ à Deo per Moysen tradebatur de ritibus externis tantum, quibus ordinabantur externi gestus in divinis cultibus Leviticis, nim. sacrificiis & aliis externis exercitiis. Erant figuræ umbratiles: quemadmodum enim exemplar animo conceptum, non ipsum ædificium, sed illius quædam figura, aut species est; pictores item efformaturi imaginem, delineationem quandam umbratilem præmittunt: ita sacerdotes in V. T. cum nondum adesset Christus in carne patiens, viva T. N. imago, sacrificiis leviticis, veluti typis ac figuris, beneficia illius significare, ac adumbrare ex institutâ hâc lege debuerunt. Erant ergò descriptiones personæ, officii, & beneficiorum Mediatoris, commonefaciebant de futuro sacrificio, per quod Ecclesia conjungebatur cum Deo, & aditus ipsi per fidem ad Deum patebat. His verò omnibus Christus adventu suo imposuit finem, quod testatur Daniel cap. 9. v. ult. & confirmabit pactum multis hebdomada una, & in dimidia hebdomada cessare faciet sacrificium. Quamquam autem leges ceremoniales in N. T. sint abrogatæ, non tamen omni destituuntur usu; sed utiliter investigatur atque cognoscitur, quomodo in illis Christus cum omnibus beneficiis suis præfiguratus fuerit.

### §. IV.

Vel *Forensis*, quæ determinabat certam speciem externarum actionum, quibus civilis societas in populo Israëlitico commodissimè gubernaretur, sceleraq; & flagitia punirentur. Minimè vero confundenda est lex moralis cum forensi, etiamsi utraq; de sceleribus agat. Nam scelera & flagitia, in quantum voluntati divinæ  
repu-

repugnant, & societatem civilem humani generis turbant, morali, naturaliq; lege prohibita sunt; in quantum verò certi generis populo, loco, tempori, pænæ subjacent, ad legem forensem pertinent, genus illud pænæ determinantem. Respiciebat Deus ad circumstantias temporum, locorum, personarum, & reip. judaicæ conditionem, & non ferebat legem forensem, ut disciplinæ omnium gentium conveniret; sed accommodabat ad mores populi Israëlitici, & solos judæos per eandem constringebat, quò esset illustris distinctio politiæ Mosaicæ, in qua nasciturus erat Messias, ab aliis gentibus. Destructâ verò hâc politiâ judaicâ abrogata est simul lex Forensis, non enim est Græcus & judæus, circumcisio & præputium, barbarus, Scythæ, servus & liber; sed omnia in omnibus Christus. ad Galat. 3.v.ii. Etsi verò illa præcepta legis forensis abrogatæ, quæ, quoad substantiam & finem, præcipuè Christum exhibendum respexerunt, hodiè usurpari nulli populo liceat; liberum tamen est Christiano Magistratui ea adhibere, quæ statui politiæ suæ congruere animadvertit. Andreas Bodenstein, vulgò Carolstadius à patriâ ita dictus, Professor primò quidem Wittebergensis, deinde verò durante reformationis opere, ad Anabaptistarum partes deflectens, docebat, non ex imperatoriis, sed Mosaicis legibus res civiles inter Christianos debere judicari. de hâc sententiâ vid. Luther: *im Bedencken: Ob man nach Mose oder Kayserslichen Rechten rathen und urtheilen solle?* Tom. II. Jen. fol. 480. & Gerhard. Tom. III. loc. de lege §. 39.

§. V.

Vel denique *Moralis*, quo non modo externam; sed internam quoq; moderationem & rectitudinem affectuum requirit, ideoq; inordinatos, carnalesvè motus castigat, & ipsam concupiscentiam accusat. Præsupponit vires à Deo homini ad observandam legem olim datas, non autem vires naturæ corruptæ; sed prout ad imaginem Dei creatus homo fuit. Absurdum igitur, quod Erasmus scribit; *Deum illudere miseriæ humanæ, si ea, quæ in lege præcepit, non possent*



possent à nobis impleri : Sicut quis claudo promittat montes aureos, ubi  
 rectus inceserit, cum sciat, illum hoc non posse. Multam propter pro-  
 mulgationem agnoscit differentiam à lege naturali, hæc enim ho-  
 die suo modo tantum est de legis divinæ essentia; cum adhuc in-  
 tegra naturæ lux & lex hominum mentibus inscripta, suffi-  
 ciens erat actionum norma & promulgatione non erat  
 opus. Kekerman. curs. philosoph. disp. 23. sed obfusata mentis  
 humanæ claritate, instauranda erat per promulgationem integra  
 legis notitia, ut ea, quæ in lege naturæ extincta essent, DEI voce  
 iterum patefierent. Hinc Augustinus in Psal. 57. *Data est lex, non  
 quia inscripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui per legem ad  
 te ipsum introreuoans.* Et Ambros. Tom. 3. l. 9. Ep. 71. *Quia per inobe-  
 dientiam prærogativa legis naturalis est corrupta, ideò scriptum legis  
 existimatum est necessarium, ut vel partem haberet, qui universum  
 amiserat, & cui perierat, quod nascendo assumserat, discendo saltem  
 cognosceret & custodiret.* Si itaq; lex naturalis quidditative & in  
 essentiâ suâ perfecta spectetur, à lege morali non differt; subjective  
 verò, & quoad existentiam præsentem, sicut nunc existit in nobis  
 in statu corruptionis, differt à morali, secundum esse perfectum,  
 totale & partiale, vid. Rudrauff. Philosoph. Theol. exhib. 28.  
 §. 27.

#### §. VI.

Ex hisce præmissis colligitur, (1) quod hic excludatur *lex hu-  
 mana*, quam κατὰ τὸ δυνατόν ferre oportet, nisi iniqua & tyrannica  
 sit; deinde etiam *lex ceremonialis*, quæ non immota ceremonia  
 fuit, & ad salutem necessaria, quod testatur Abraham, qui jam ante  
 circumcisionem justificatus declaratur; tum etiam *Forensis*, quæ  
 solos judæos in civilibus obligabat ad observationem & cultum ex-  
 ternum; hæc enim, ut & ceremonialis, qua talis tantum externam  
 obedientiam efflagitabat. (2) quod hic tantum de lege morali aga-  
 tur, quæ tam externam, quam internam perfectionem requirit,  
 & immota divinæ justitiæ regula est, æterna quidem; sed à poste-  
 riori. Agnoscit enim initium, sed non pariter finem, & sic  
 Lex Dei dicitur, efficienter, non subjective, seu finaliter non enim à

B

supe-

superiori præscripta est, sed potius æternum ejus consilium & decretum de rerum omnium præsertim actionum humanarum & interiorum, & externarum gubernatione.

§. VII.

Cæterum ut instituti ratio eo melius innotescat evolendus nunc quoque brevissimis est terminus *Perfectionis*. Bellarminus lib. II. de Monachis, cap. 2. §. Tertius gradus: dicit: *Perfectio in eo consistit, ut diligatur Deus, non quantum est diligibilis, nec quantum potest creatura quælibet absolute Deum diligere, sed quantum potest creatura quælibet mortalis, quæ à se removet divini amoris impedimenta*. Quibus verbis statuit, quod perfectio consistat in uno tantum gradu; Deus verò perfectionem non unius certi gradûs, sed omnium, quales in integritatis statu homo habuit, desiderat. Debet ergo hæc perfectio proficisci ex toto corde, ut in amore nihil Deo vel præponamus vel adæquemus; ex tota anima, ex tota mente, ut semper ea cogitemus, quæ ad promovendam Dei gloriam nos inflammare queant. Neque in hoc gradu, quem Bellarminus describit, datur aliqualis Perfectio, dum multam infirmitatem peccabilem admixtam habet, quod Bellarminus ipse concedit, dum dicit, *non quantum est diligibilis, nec quantum potest creatura absolute Deum diligere*, non enim ab omni concupiscentiâ immunis est.

§. VIII.

Smalzius disp. 6. contr. Frantz. sect. 4. ait. *Ad rectè intelligendum quod de perfectione in lege exigitur, hoc est imprimis notandum, duplicem dari considerationem perfectionis in pietate: altera est absolutissima, quando quis nunquam, ne semel quidem peccavit; altera est comparata, quando quis nullius peccati habitum contraxit, vel in nullo peccato unquam hæsit, vel hæret: prior perfectio ut non est prorsus necessaria ad salutem, sic etiam ab hominibus non necessario, & absolute nunc, sub N. To exigitur; sed tantum mandat ur ad eandem aspiratio, & perpetuus conatus, ad eam quàm proximè accedens: altera verò ut ad salutem*

*Salutem necessaria est omnino, sic ab omnibus prorsus requiritur. Sunt autem rursus in hac utraq; perfectione certi gradus. Nam quod ad posteriorem attinet, sunt qui virtutis ut plurimum sunt studiosi, quod est habitum virtutis habere, sed egrè tamen & non sine lucta, eaq; magna: sunt qui minori cum lucta & modestia virtuti incumbunt, & opera bona exequentur: sunt deniq; qui absq; omni lucta cum summa animi letitia officium faciunt, & non tantum bonis operibus student, verum etiam iisdem delectantur. Omnes tamen hi censentur in statu salutis esse Deo confidere, non secundum carnem, sed secundum Spiritum ambulare. Hac tamen cautione, ne illi qui cum lucta magna, aut etiam non magna, faciunt voluntatem Dei, sentiant sibi in ista sua imperfectione non licere ita hærere; sed semper eo contendere, ut si non s. imper, saltem plerumq; cum magna animi sui letitiâ, quæ Deus præcepit, exsequantur. Quod vero ad priorem perfectionem attinet, nemo est qui non videat, quam variis in ea gradus dentur, ita ut ferè in singulis diversus hac in re profectus apparere possit, prout quisq; annexus fuerit, ut quam proximè ad istum scopum collimet. Etiam si autem difficillimum sit propter carnis infirmitatem, ut homo ad istam perfectionem re ipsa perveniat, non est tamen prorsus impossibile, & voluit Deus, ut ad eam tenderemus &c. Huc usq; Smalzius.*

#### S. IX.

Duplicem esse impletionem legis, alteram absolutè perfectam, cui nihil deest ex omnibus illis, quæ in lege præcepta sunt, tam quoad partes, quàm quoad gradus; alteram secundum quid, quæ multam infirmitatem agnoscit, omnes orthodoxi concedunt, quod verò prior ad salutem non sit necessaria, & in Dei ipsius, quippe auctoris decalogi, & in legis divinæ ignominiam redundaret; absit hoc igitur, ut admittamus. Notum est aliàs, quod nulla lex, etiam humana, ad non-observationem publicetur, sed omnes leges, cujuscunq; sint conditionis, ad observationem promulgentur: multò minus Deus, ut veritas immutabilis, tam futilis erit legislator, ut figat ac refigat; sed ea, quæ præcepit, pariter vult à nobis constanter & accuratè observari, nisi in æternum pereun-

dum sit, siquidem expressè dicit Deut. 27. v. 26. Maledictus, qui non  
 statuerit verba legis istius faciendo illa; utiqve ergo ad salutem ne-  
 cessaria. Sed ut mihi videtur, nititur hæc adversarii assertio falsâ  
 hypothesi, dum alibi negat, Christum nos reconciliasse Patri per  
 sui oblationem, sed contendit reconciliatos nos fuisse à Christo  
 non nisi per simplicem & absq; omni soluto pretio receptionem in  
 gratiam. vid. B. Meisnerus disp. 26. Anthr. Et licet subjungat, quod  
*absolutè nunc sub N. To non exigatur*, tamen defendi nequit propter  
 allatam hypothesin, quam falsissimam esse scriptura sonore ac per-  
 spicue testatur Rom. 3. v. 24. Gal. 3. v. 13. ubi expressè dicitur, quod  
 Christus pro nobis factus sit execratio. Et si absq; ulla satisfactio-  
 ne supplicium illud, quod minatus est Deus Gen. 2. v. 17. condo-  
 natum esset, quomodo veritas, aut justitia divina cujus norma lex  
 dicitur, consisteret? vid. Magnif. Dn. Doctoris Præsidis Theol.  
 Posit. Polem. loc. de leg. thes. 9. Contendit verò Schmalzius, illos  
 in statu salutis esse, Deo confidere, non secundum carnem, sed se-  
 cundum Spiritum ambulare, qui virtutis ut plurimum sunt studio-  
 si, licet non sine lucta, nonnunquam tamen absq; omni lucta. Ve-  
 rum lex ut perfectissima, sic cum imperfectâ implectione  
 nihil commercii habet. Jac. 2. 10. Utiles est lucta, dum  
 animum hominis in perpetuo Dei timore continet, cum illis  
 verò, qui absq; omni lucta vivunt, male agitur, in his enim jam ex-  
 tinctus est Spiritus, & caro dominium obtinet. vid. Balduin. in  
 Comm. ad Gal. quomodo ergo salutem acqvirent? Tandem subji-  
 cit, etiamsi autem difficillimum sit propter carnis infirmitatem, ut  
 homo ad istam perfectionem re ipsa perveniat, non est tamen pror-  
 fus impossibile, ubi concedit, quod lex perfectè impleri possit, ad  
 quæ verba inferius pauca adjungem9, hoc saltem addidisse hic suf-  
 ficiat, quod Smalzius sibi ipsi in hæc disp. 6. th. 43. contradicat, dum  
 ibi fatetur, absolutam perfectionem soli Christo convenire. Uno  
 verbo Schmalziana figmenta cadunt inde, quod Christus sit τέλει  
 τῆ νόμου Rom. 10. ac opus fuerit ejus satisfactione pro nobis, tan-  
 quam peccatoribus.

S. X.

Ex his omnibus nunc formamus quæstionem: an homo in hoc statu per obedientiam propriam perfectè legem adimplere possit? Ubi vocabulum perfectè non certi gradus tantum, sed omnium, nec quoad certum, sed quoad omne, tempus, nec unius tantum præcepti, sed omnium ac singulorum, impletionem involvit, unò verbò, intelligitur totalitas absoluta, ut nihil sit in homine, nec vel minimus motus in intellectu, voluntate & appetitu, qui cum præceptis Dei pugnet. Cujus negativam nunc defendemus.

Cum verò obligatio legis in eo consistat, ut actus conformentur voluntati ejus, qui legem tulit; hinc actionis nostræ causas, per quas rem novimus & agimus observabimus, unde summam imperfectionem agnoscemus. Ab ejus efficiente initium facimus & voluntatem certo respectu principalem esse dicimus, quæ movendo reliquas potentias, quod ab intellectu præscriptum, exsequitur. Intellectus dicitur, quid utile, quid honestum, quid faciendum sit, unde & ipsi imperium, quod tamen in præsentis statu valde angustum, & non nisi voluntati politicè imperat, competit: cum verò res contingentes sint, ideò solam voluntatem, ut causam efficientem principalem, agnoscunt à quâ solum dependent, dum intellectum tum quoad exercitium suorum actuum, tum quoad specificationem determinat; non enim intellectus solet se finaliter ad intelligendum movere, nisi suo modo fuerit motus à voluntate. Jam vero voluntas in spiritualibus nihil invenit, quod amore suo prosequatur, ut rem sibi convenientem, sed potius abhorret, renuit ac refragatur, & ea solum vult, iisque delectatur, quæ mala, & voluntati Dei repugnantia sunt. Quod Moses certè Gen. 6. v. 5. & c. 8. v. 21. disertè testatur, Figmentum cordis humani tantum modò malum esse ab adolescentia sua, quod dictum tum universalitatem actus, tum etiam temporis exprimit, unde vulgata versio, ad confirmandam pontificiorum hypothesein, intollerabili depravatione locum hunc obscuravit. Malitiosè enim expuncta est particula tantum, quæ Gen. 6, v. 5. expresse legitur siquidem hæc vox indicat,

nihil homini in statu corruptionis considerato, prorsus relictum esse aliud, nisi quod malum & divinæ voluntati inimicum. Legitur autē invulgata versione: *Cogitatio cordis intenta sive prona est ad malū.* Ubi certē plurimum differunt, malū esse & primum esse ad malum; quorum illud corruptionem totalem hominis præsupponit; hoc verò naturæ aliquam adhuc bonitatem haud obscure tribuit. Sic Jerem. 17. v. 9. pravum est cor hominis & imperscrutabile, quis cognoscat illud? Ubi Emphaticum est vocabulum hebræum **דִּיפְּרָה** quod idem sonat ac supplantativum, à radice **דִּפְּרָה**, supplantare, sive decipere, vel dolosè, callidè, aut astutè agere; unde cor hominis deceptivum, versutum, versipelle, fraudulentum esse innuitur. Nunc ex his duobus dictis tale enascitur argumentum: Si verum, quod voluntas hominis, in statu corruptionis considerati, imperscrutabili & ineffabili malitiâ sic contaminata ut tantum mala velit & expetat, sequitur, quod nullo desiderio in bonum spirituale feratur neq; intellectum moveat, ut iudicium ad bona dirigat, sed potius renuat ac refragetur: Sed prius jam probavimus; stabit ergò Conclusio. Hinc Formula Concord. p. 579. *Credimus docemus & confitemur, voluntatem hominis non dicitur renatam, non tantum à Deo esse averfam, verum etiam inimicam Deo factam: & pag. 660. voluntatem in rebus divinis prorsus non modo à Deo averfam, verum etiam adversus Deum ad omne malum conversam, & penitus depravatam esse. Item hominem non tantum infirmum, imbecillum, ineptum, & ad bonum emortuum; verum etiam per peccatum originis adeò miserabiliter perversum, veneno peccati infectum & corruptum esse, ut ex ingenio & naturâ suâ totus sit malus, Deo rebellis & inimicus, & ad omnia ea, quæ Deus odit, nimium sit potens, vivus, efficax.*

§. XII.

Et licet Spiritus Sanctus homini à Deo collatus mentem splendore suo illuminet, cor & voluntatem virtute suâ repurget, removendo scilicet incapacitatem, & restaurando novas vires, tamen non integrè restituitur, ut ex servâ & captiva reddatur libera, inq; suâ potestate habeat, mutare se in melius, sed veteris adamii pruritus semper est superstes. Hinc luctam existere necesse est, & quidem  
ita,

ita, ut secundum interiorem hominē, dum Spiritus Sanctus opere-  
 tur rō velle, delectetur lege Dei Rom. 7. v. 22. ut bonum velit face-  
 re v. 21. secundum exteriorem autem sentiat in membris legem re-  
 pugnantem legi mentis, quæ sollicitat ad malum, animumq; ad pec-  
 catum flectit, & sicut leges divinæ justitiam: sic hæc lex membro-  
 rum injustitiam & iniquitatem docet. *Conversio nostra*, inquit Chem-  
 nit. p. I. loc. Theol. de lib. arbit. *non est talis mutatio, quæ uno mo-  
 mento statim omnibus suis partibus absolvitur & perficitur, sed habet  
 sua initia, habet suos progressus, quibus in magnâ infirmitate perficitur  
 &c.* Quod Paulus, ut regenitus, de se ipso fatetur Rom. 7. v. 14.  
 Scimus, inquit, quod lex spiritualis, ego autem carnalis, venun-  
 datus sub peccato, & v. 18. Scio, quod in me, hoc est in carne mea  
 non habitat bonum. (quod autem Paulus de se ipso in hoc capite lo-  
 quatur B. Meisnerus contra libell. Svasor. Photin. decem rationi-  
 bus probat, p. 123. Vid. Decad. I. Anthr. Balduini comment. h. I.)  
 Non video igitur quomodo Smalzius, suam sententiam defendere  
 possit, quod nonnulli absq; omni lucta cum summâ animi lætitiâ  
 officium faciant, & bona opera exsequantur. *Cum enim*, ut legitur  
 in Form. Concord. p. 675. in hac vitâ tantum primitias Spiritus ac-  
 ceperimus, & restauratio nondum sit absoluta, sed solummodò in  
 nobis inchoata: manet perpetua quædam lucta inter carnem & spi-  
 ritum, etiam in electis & verè renatis hominibus. Si itaq; verum,  
 quod in renatis aliquid carnalis concupiscentiæ etiam post conver-  
 sionem reliquum sit, unde adhuc legem carnis sentiant, sequitur,  
 quod neq; quoad priorem tabulam de diligendo Deo ex toto cor-  
 de, ex tota mente, & omnibus viribus, neq; quoad posteriorem,  
 de non concupiscendo, legem implere possint: Sed prius est, Ergo  
 & posterius.

### §. XIII.

Progrediamur verò ad causam immediatam, actionis, quam  
 libertatem dicimus. Voluntas, licet una potentia, duobus mo-  
 dis, propter diversas facultates ad actionem concurret, aut volun-  
 tariè & adæquatè, aut liberè & inadæquate. Hosce diversos agen-  
 di modos & facultates probè observandos esse, svadet ipsa necessi-  
 tas,

tas, si sophisticationi nonnullorum pontificiorum occurrere velimus. Sophisticè enim inferunt; negantes liberum hominis arbitrium negare hominem esse hominem; quippe liberà voluntate, & per consequens ipsà animà rationali destitutum. Ubi distinguo inter voluntatem hominis, quatenus ea est δύναμις animæ rationalis; & inter voluntatis hujus vires, respectu objectorum. Versatur autem aliàs libertas hæc in hisce duobus actibus, videl. nolle & velle, ita tamen ut neutro voluntas necessario utatur, sed quemcunq; velit actum ex istis promiscuè usurpet. Etiam si ergò objectum moveat voluntatem, ejusq; inclinatio & debita requisita adsint, tamen in ejus potestate situm est, an circa illud actum aliquem, sive contradictorium, sive contrarium exercere velit. Verùm libertatem hanc in spiritualibus Protoplasti nostri unà actione vitiosà amiserunt, & quandam propensionem ad iniquitatem sibi accerserunt, eiq; amicum ac aptum hospitium præbuerunt. Impedit ideo peccatum connatum vitiosis suis motibus hanc libertatem, ut nunc non Domina, sed serva ac captiva sit, & ne minimum quidem imperet ac præstet. Non habet voluntas libertatē contradictionis circa spirituale bonum, ut unum præ alio eligat, & actum suum circa illud, quando idlibuerit, suspendere & exercere possit, sed solum circa malum, quod non potest non appetere: neq; libertatem contrarietatis, & non potest vel benè vel malè velle, sed tantum malè, vigore textuum Scripturæ Rom. 6. v. 20. Ephes. 2. v. 3. Nulla deprehenditur libertas in ipsa conversione, nullæ siquidem vires libertatis concurrunt activè, sed tantum passivè voluntas sese habens, gratiam illuminationis & regenerationis suscipit Philip. 2. v. 13 in primis si libertas in actu consistere dicatur, non in passione, inter namq; requirat vim, quâ sese ad actum determinare possit, quæ verò vis in spiritualibus voluntati denegatur, & nihil magis efficit, quam cadaver. Nullam denique libertatem perfectam voluntas, post conversionem habet, licet enim per DEI gratiam satis excellentem habeat, attamen ea hæc in vitâ modis omnibus absoluta & perfecta neutiquam esse potest, propterea quod homo renatus cum reliquiis peccati subinde luctari necessum habeat. Excipit Bellarminus

minus



minus lib. 5. de grat. & liber. arbit. c. 15. Si in homine non est libertas, nullus erit pænæ, aut præmio locus, id autem communi totius humani generis consensu refellitur. Resp. In Rebus externis aliquam libertatem adhuc superesse non negamus, cum adhuc reliqua sit in naturâ hominis ratio & iudicium de rebus sensui subiectis, reliquus est etiam delectus earum rerum, & libertas & facultas efficiendæ iustitiæ civilis. vid. Form. Conc. p. 218. hinc & præmia, quibus cum Deus, tum Magistratus externam obedientiam compensare solent, non impugnamus. Quod si verò de præmiis operum, actionumq; spiritualium sermo sit, non valet consequentia, quia non ex merito, sed ex gratia præmia tribuuntur, Rom. 3. v. 24. Ephes. 2. v. 5.

#### §. XIV.

Cum verò secundum tritum illud, ignoti nulla cupido sit, & philosophorum receptum sit axioma, quod nihil sit volitum, nisi prius cognitum, ideò necessè est, ut constet voluntati objectum esse appetibile, antequam in appetendum esse statuat, unde causa directiva, quam intellectum dicimus, qui variis functionibus suis voluntati ministrat, ipsi objectum offert, idq; bonum & appetibile esse indicat. Quod in manuum operibus est oculus, id intellectus in actionibus voluntatis; ista ut sine oculorum ductu perfici non possunt: sic nec absq; intellectus dictamine iusta voluntatis actio, dum non demonstratur voluntati bonitatis ratio. Quamquam autem intellectus à naturâ ad id munus sit destinatus, exutus tamen nunc est viribus, quibus spiritualia exactè discutere possit, & miserè labe originali contaminatus est, ut operam suam unice collocet in objecto in se malo, & nullum iudicium de spiritualibus voluntati denunciet. Non potest inquirere, an spiritualia, vera, bona, commoda vel saluti consentanea sint, sed stultitia ipsi sunt, nec percipit quæ spiritûs Dei sunt I. Cor. 2. v. 14. Verborum evangelii & legis sensum conceptui divino congruum non potest firma assensione recipere, nedum intelligere ac cognoscere, ut voluntati viam rectam de monstraret, ne in tenebris ambulet, non est intelligens, non est requirens Deum: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt;

C

sunt;

sunt; non est qui faciat bonum, ne unus quidem. Psal. 14. v. 3. Rom. 3. v. 12. & Matth. 13. v. 13. videntes non vident & audientes non audiunt, neque intelligunt: loquitur equevidem dictum hoc ultimum de iusto Dei iudicio & voluntate consequente, ubi verbi contemptoribus ulterior denegatur gratia; tamen ex illo recte concludere licet, si etiam renati de novo peccantes per peccatum ita corrumpuntur, ut intellectui omnis capacitas & facultas in rebus spiritualibus aliquid boni cogitandi, intelligendi ve adimatur, quanto magis nondum renati erunt spiritualiter surdi & caeci. Quod & fusius declarat Form. Concord. p. 657. *Humana ratio sive naturalis intellectio hominis, obscuram aliquam notitiam illius scintillulam reliquam habet, quod sit Deus: & particulam aliquam legis tenet: tamen adeo ignorans, caeca & perversa est ratio illa, ut licet ingeniosissimi & doctissimi homines in hoc mundo Evangelium de Filio Dei & promissiones divinas de aeterna salute legant & audiant; tamen eas propriis viribus, percipere, intelligere, credere & veras esse, statuere nequeant. Quin potius, quanto diligentius ea in re elaborant, ut spirituales istas res suae rationis acumine indagant & comprehendant: tanto minus intelligunt & credunt, & ea omnia pro stultitia & meris nugis & fabulis habent, priusquam a Spiritu Sancto illuminentur & doceantur.*

§. XV.

Hisce demonstratis, patet, non solum difficile esse, ut homo ad istam perfectionem legis perveniat, sed plane impossibile, dum habitum contrarium sibi acquisivit, ut nec voluntas per suas facultates concurrat, sed se avertat a spiritualibus, & convertat ad caduca: nec intellectus suum obeat munus, cui omnis facultas in spiritualibus inchoandi, proponendi, operandi & cooperandi denegatur. Hinc Ambrosius in c. 3. Epist. ad Gal. Tanta sunt mandata, ut impossibile sit servari ea. Sed nunc ad tertium, quod promisi, ut progrediar restat, scilicet aliqualem refutationem argumentorum adversariorum adjiciam.

§. XVI.

Objicit Bellarminus l. 4. de justif. c. 11. Mandata eius gravia non sunt 1. Joh. 5. v. 3. & Matth. 11. 30. jugum meum suave est & onus meum

meam leve. Resp. in primo dicto committitur Elenchus figuræ di-  
stinctionis. Gravia non sunt, tum quia renatis lex non est posita 1. Tim.  
1. v. 9. vel, ut in fonte est, Lex iusto non *κείται*, jacet, vel instar one-  
ras incumbit quod peculiarem aliquem sensum involvit; videlicet,  
quod licet iusto posita sit lex, ei tamen non jaceat, hoc est lex in  
ipsum non proprium officium suum exerceat, non amplius gravet &  
premat accusando, terrendo, damnando: tum quia illi haud gra-  
vatim non cum molestia, neq; servili quadam coactione, sed coo-  
perante Spiritu Sancto, qui omnia dirigit, obsequia legi sua sponte  
vel libenter accommodant. Hinc non video consequentiam, Ergo  
præstiti sunt facilia, si in se & ut Mandata Mosis, qui obedientiam  
perfectam postulat, considerentur. Christus verò non exigit obe-  
dientiam consummatam, sed inchoatam acceptat, & quicquid  
illi imperfectionis adhæret, perfectissimæ suæ obedientiæ imputa-  
tione tegit & supplet. Ad alterum dictum eadem est responsio, ju-  
gum dicitur svave & onus leve in respectu ad jugum Mosis, quod te-  
ste Petro grave & intolerabile erat, dum non inchoatam, sed solum  
consummatam perfectionem acceptabat: vel etiam est jugum leve  
vel svave ratione Christi, non ratione nostri, ratione fidei non ra-  
tione facti.

§. XVII.

Pergit Bellarminus loc. cit. Spiritum meum ponam in medio  
vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea  
custodiatis. Ezech. 36. v. 27. Resp. Dictum hoc non contra nos mili-  
titat, siquidem & nos concedimus, Spiritum Sanctum inhabitare  
renatos, & suâ virtute illos illuminare ac gubernare, ut in præceptis  
Dei ambulent, eaq; pro virili & mensurâ donorum observent ac  
custodiant. Minimè autem ex inde sequitur, quod legem Dei per-  
fecte impleant in hac vita, sed in futura cælesti vita, ubi penitus de-  
mum ab omnibus impedimentis liberi erunt.

§. XVIII

Tertiò objicit: Si lex Domini esset impossibilis, sequeretur  
Deum omni Tyranno esse crudeliorem, sed posterius est absurdum  
ac impium, Ergo & prius. Resp. Status hominis est quadruplex,  
pri-

primus est innocentiae, alter corruptionis, tertius regenerationis, & quartus integritatis restitutionis. Si lex prorsus & quoad omnes status esset impossibilis, tunc valeret consequentia. Deus verò non respexit statum corruptionis in promulganda lege, sed statum integritatis, ubi certè possibilis fuit. Exigit igitur debitum, ad quod solvendum illi sumus obstricti. Creditor enim, quando id, quod suum est, reposcit, non agit injuste. Et possibilis non modo fuit in statu integritatis, sed adhuc suo modo possibilis est in statu gratiae, cum *inchoative*, cum scilicet, vetus adam in homine renato licentiam appetit, ut facere liceat, quod sibi maximè arridet, vel cum sibi imaginari & persuadere solet, vitam & opera sua omninò pura & perfecta esse, & renati appetitum ejus infringunt & ad voluntatem Dei se conformant, falsamq; imaginationem extrudunt monstrando ex lege omnia in hac vita esse imperfecta & immunda: tum *imputative* quando scilicet renati admoniti sua infirmitate & insufficientiâ ad Christum gratiae thronum se recipiunt, & ab eo humiliter petunt, quod in facultate sua positum non esse advertunt. Impium hinc est, quod Islebius teste B. Luthero Tom. I. Jen. lat. p. 554. sparsit cum aliis Antinomis, nim. quibus cum Mose res est, ad diabolum tendunt; Moses ad patibulum relegandus, &c. quasi non opus esset, ut viam nostram exigamus ad normam legis divinae; licet enim à lege per Christum liberati simus, Gal. 4. v. 5. non tamen omnimodè à lege immunes, sed ipsius obedientiae adhuc subjecti.

Et Tantum hic de hac Materiâ, plura vid. apud D. Mart. Chemnit. partim in examine Concilii Tridentini, partim in locis:

Soli Deo Gloria.





\* \* † \* \* † \* \* † \* \*

AD PEREXIMUM ATQUE PRÆSTANTISSIMUM,

DN. DANIEL Berstenberger/

Amicum Dilectum & Honorandum.

**I** Ex divina dicitur æternæ ju-  
stitiæ vel norma, vel idea. Si  
dixeris Ideam, limpidissi-  
mum speculum est, in quo non Men-  
tem modo divinam, quoad sapien-  
tissima Legis scita, vel statuta, sed  
etiam Sanctissimam Dei volunta-  
tem, quoad pietatis & honestatis pla-  
cita, mysterio quodam summo  
contemplari licet. Si vocaveris Nor-  
mam, est via vitæ, quam tuto possu-  
mus ambulare, est cynosura vitæ,  
juxta quam gressus omnes perpetuo  
debemus formare, est meta vitæ, ad  
quam in omnibus cogitationibus,  
sermonibus & actionibus collimare  
fas

fas est. Hæc Tibi PEREXIMIE DN.  
RESPONDENS, sunt in deliciis, ideo sa-  
cras *de Lege* Meditationes instituis.  
Quid enim sublimius, quam æter-  
nam *Dei Mentem*, Ejusq; *sapientissi-*  
*ma secreta* contemplari? Quid me-  
lius, vel utilius, aut beatius, quam *di-*  
*vinæ voluntatis placita* meditari, &  
in *vitæ viis*, atq; *pietatis exercitiis*  
eadem imitari. *Beatus* is, ex *judicio*  
*Regis Vatis*, proclamatur, qui *die no-*  
*ctæq;* *sedulus in lege Domini medita-*  
*tur*. Gratulor igitur Tibi de hoc e-  
gregio *Beatitudinis instituto*. In  
hoc strenue perge, sicut occupisti.  
Sit *Lex divina* perpetua *Tuæ mentis*  
*idea!* Sit *Lex divina* continua *Tuæ*  
*voluntatis, totiusq; Vitæ regula!* Sic  
verè *beatus*, sic in *Domino* vere *be-*  
*neditus* eris! Cum primis si *legis*  
*summam perfectionem* perpetuo  
COII-

consideraveris, & imperfectionem  
obedientiæ Tuæ seriapænitentia de-  
ploraveris, obedientia verò perfectis-  
sima Christi Salvatoris defectum  
istum per fidem salvificam consum-  
maveris. Hæc enim sunt humanæ  
salutis Mysteria: quæ si mente ple-  
nius juxta divinæ veritatis tabulas  
indagaveris, & corde vitaq; rectius  
servaveris aliquando maximo cum  
fructu Populum DEI docere pote-  
ris: nec ulla DEI benedictio vel nunc  
sacris tuis studiis, vel olim sanctis in  
Ecclesiæ laboribus deerit, quod à  
Domino, vel Patre benedictionis  
omnis suis precibus urget

*Tuæ Per Eximiæ Præst.  
Studiosiss.*

Witteb. d. 17. Mart.  
A. MDC LXXXIII.

JOHANNES Deutschmann / D.  
p. t. Acad. Rector.

**I**ngenii sane Specimen præbere conaris  
 Egregium Patriæq; tuæ, doctisq; Patronis,  
 Dum, quid sit, memoras, impletio Legis, itemq;  
 Rite doces, hominem, peccati mole gravatum,  
 Non posse implere, aut Leges servare Jehovæ:  
 Hoc quoq;, conscendens Cathedram, certamine docto  
 Defendisse studes, defendis & acriter illud,  
 Pulpita Theiologum quod possunt docta probare,  
 In stadio & studio hoc si tu perrexeris, Ecce!  
 Patron os Magnos studiorum semper habebis,  
 Divitisingenii queis visq; vigorq; placebit.  
 Hinc quoq; (non dubito) Conamina prima probabunt,  
 Et meritò applaudent; Hincq; olim præmia reddet  
 Patria clara tibi, suscepto digna labore.  
 Applaudo ex animo, conatus grator, & oro,  
 Ut velit omne tuum studium, intrepidusq; labores  
 Exornare tuos Benedictio larga Jehovæ,  
 Quo tandem optato ac felici fine fruantur.

*Ita præstantissimo, doctissimoq; Dn. Danieli Gerstenberg,  
 Fautori, Commensali, atq; amico suo multum  
 dilecto ex animo applaudens  
 gratulatur*

**M. Bernhard König / Norda Fris.**  
 SS. Theol. Cultor,



3. Coll. Diss. A 162, univ. 35